

Ex jovis fulmine tum una
ferientis deæ lethifero
qvodam ictu enatæ
Smolando...

1 Ic 1688 4:o Svenonius



National Library
of Sweden

197 48

EX
JOVIS FULMINE
TUM UNA
FERIENTIS DEÆ LETHIFERO
QVODAM ICTU
ENATÆ SMOLANDORUM NÆNIÆ

ET
Profusæ tristissimæ quæquæ lacrymæ;

CUM JAM
Reverendissimus ille longeq; Amplissimus DOMINUS;

Dⁿ. ENEVALDUS
SVENONIUS,

Q.G.A.S.S. Theologiæ Doctor multo celeberrimus, antea istius Facultatis Professor Primarius, Ecclesiæ *Svecanæ, Fennonicæ* & adjacentis annexæ *Numensis* PASTOR dudum dignissimus; Nunc *Scania & Blekingiæ* confirmatus EPISCOPUS Eminentissimus, Academia ibidem *CAROLINÆ* PRO-CANCELLARIUS perquam MAGNIFICUS, Consistorii Eccles. PRÆSES Consultissimus, & Scholarum per Dioccesin Ephorus Attentissimus Mæcenæ, Patronus & nostræ Nationis Inspector humilime suspiciendus; relictâ Dei Ecclesiâ, cujus fuit à Deo datus diligentissimus Custos, relictâ Nobilissimâ suâ familiâ, cujus erat splendor & dignitas, die dehinc 18

Aprilis, Anni vertentis 1688. piè & placidè ceu e custodia. in libertatem evocatus.

AD MELIORA TRANSIRET:

Die autem 24. Junii Anni ejusdem, Majorum tumulo, in Templi hujus Cathedralis summo choro elaboratissimè facto, Attica profectò urbis lacrymis, expressis decedente Pomponio, illatus, requiescet ibidem usq; ad extremum Dei judicium, dum anima ejus, quæ interim cælesti illa demulcetur gloriâ, corpori erit restituenda.

Ab hujus beatè defuncti EPISCOPI discipulis & simul conterraneis.

ABO Æ, Excudit JOHANNES Winter/Reg. Typogr.

48





84

Uod tota Svæcîa, & quidquid in toto orbe arctoo
mortalium est, quidquid deniq; in Europa magni-
tudine ingenii aut fortunarum hoc tempore emi-
net, loquatur; antecedens aprilis est, si quis alius,
Specia semper notabilis erit. Quod cum tale sit,
ut est revera maximum, ita hodierno die, vestigia
luctus ubiq; & apud omnes sexus conspiciantur, quo
Academia nostra decui, Doctor longe Celeberrimus, Reverendis, Lundenfis
Episcopus, Theologus & Philosophus consummatissimus, vestigia enim insi-
gnium Theologorum & Philosophorum adeo præclare præsit, ut dubium
esse possit major ne Auditori ex Præceptore, an illi ex auditore gloria facta
sit accessio, vera Lutherana Religionis defensor & propagator, Nobile
professio bene vivendi & bene moriendi exemplum, dignumq; in quod o-
culos animosq; conjiciatis, pompa funebri effertur. Vulnus illud est, quod
accepimus, gravissimum, & tansum non intima pervadens. Hujus igitur
Episcopi obitum, quantum desiderium consecutum est, experiuntur
illi, qui collegam, laborum gloriaq; socium, præceptorem vigilantissi-
mum, vita magistrum amiserunt, admirandamq; ejus doctrinam cogno-
verunt, quam tot hominum millia, quot arenas, oceani littora conti-
nent, perpetuo celebrabunt. Ille ergo, ut qui in vita acceptissimus fuit,
amor & delictum, & nihil deniq; non fecit, quo non immortalitatis
famam fuerit promeritus, non potest non cupere iterum experiri mortuum,
& luctum provocare acerbissimum. Vos igitur Specia incolæ, qui corpus
illud, in quo divina illa Mens, & incredibilia vigor domicilium suum
confluit, tumulo contegi videtis & auditis, quique tantam mortem
non sine acerbitate doletis, conferte pro vera Religione vota vestra, ut
sint perpetuo veri Theologi, qui falsam doctrinam à sedibus nostris arce-
ant. Et sicuti apud Romanos auxilia & Palladium tanquam perpetua
imperii pignora, æterna memoria consecrabantur: Ita vos Specie civis
Episcopum atque Theologum nostrum amplissimum, tanquam absolutis-
simum exemplar, virtutumque clarissimum speculum in animis vestris
conservate.

Lugubri crena apposuit
MAGNUS M. CHORINUS.

Carmen

Carmen Sapphicum cum subjecto Adonico.



malam sortem merito dolendam!
Omnibus nobis miseris homunculis,
Tristibus cunctis rogitō per orbem
Fundite carmen.

Nascimur charæ genitricis alvo,
Ferte mox sortem pariterque duram
Cogimur, tandem rigidaque morti
Flectere colla.



Sive Rex magnus Generosus Hæros,
Belliger sit Mars animosa mente,
Sive permultis opibus sit auctus,
Sive sit Jrus;

Sive sit doctus simul ore promptus,
Attamen nil est; Dominos potentes
Sæva mors passim juvenes ferit, nec
Parcit antiquis.

Sensit hoc verum ENEVALDUS, DOCTOR
Theologiae eruditus olim,
Quem Deus cælum in nitidum recepit
Atque vocavit;

Cessit; jam clara requie potitur;
Corpus hic terrâ tegitur perinde;
Magnus ast tandem resonante surget
Buccina clarâ.

*Officii ergo debiti has lineolas
mæstissime apposuit*

PETRUS S. ULNERUS.

Wex. Smol.

A 2

Ex

Ex Profus insperato obitu

Reverendissimi & Amplissimi Domini,

Dn. ENEVALDI SVENONII,

Q. G. A. S. S. Theologiae Doctoris famigratissimi & Lunden-
nensis Dioeceseos Episcopi longe desideratissimi,
justissime profusa Lacryma.



Ugubros incedimus Jam, O Commilitones, lugemus etiam,
quia dolemus adeo. Aut quis nostrum quæso foret, cui
non cor saucium sit? qui anxie se non habeat? enixe plo-
rando. Certè lacrymis planè immersi, tristissimum hunc
presentis mortis laqueum turgidis intuemur oculis, de
quo & justè querimus, illud quod factum est, si infectum fieri posset,
voto profus omni expetentes. Tantoperè namq; demissum quæquã
versus, circumgestamus caput, contristatur sordidus noster animus,
doloriq; impatiens strepit nostra mens. Quæ nunc ploratu suo im-
mane! quantum accensa, mox, ut in vasta solitudine silentio pla-
nè factò, muta obstupescit, ad cogitationes quid debinc futurum
erit, conversa. Id inter maxima quæq; omnimode verum est, quod
obambulat suis quæstibus jam anxia Aboa, quod merore affectam vi-
debis Scaniam, solatium præter præter respiciente, patriam nostram
glebã, Smolandiam. Scilicet fatiã hinc cessit noster nobis desideratis-
simus Præceptor, occubuit Lycæi Abodici vetus Antistes, exspiravit
Ecclesia hujus longè Amplissimus Pastor, abiit Dioeceseos Lundenensis
& S. R. Mæte confirmatus, quin & nostro forte Episcopatu destinatus
Episcopus, Reverendissimus Dn. ENEVALDUS SVENON-
NIUS, Theologiae Doctor & literarum Patronus. O casum du-
rum! O mortem asperissimam! Casum, dico, querelis ferè omnibus gra-
viores! Mortem verè infansam, & multis nostrum noxiam! Vi-
deamus aliàs, O socii querelarum. Nos informationi & paterno ejus
affectui assueti, nec pectoris angustiam capimus, nec ipsos nos rege-
re possumus. Stupidi adeo, in novas misèrias nos componimus. To-
ta in suas naniã effusa est nostra hæc Academia. Ecclesiarum autem
pallidam faciem quo modo describam, cum & Scania longè hinc disti-
ta, eo minus lateatur, quò acerbius suam fere sortem, in communi
hæc infelicitate. Nempe in calamitate omnium, suam quicq; fortu-
nam habet. Taceo nunc nostri Episcopatus casum: Quippe qui
bis ante viduitate damnatus anno uno, bis derelictus, modum in-
fortunii non habet? Nescit forte jam jam solatium, quia miserè
agitur. Scilicet ubi vice suã primã dolore fuit sauciatus, in spe
acqui-

acquiescebat ventura consolationis; eâ rursus inclementer privatus,
 alium qui sibi strato foret auxilio & patrocinio invenit: qui post
 illum, ad se respiciat, pra morore utique incerta, Deo rem committe
 rit & ad Patria nostra Patrem, Serenissimum nostrum Regem, CARO-
 LUM XI. piè ac submissè rem eandem defert. Lamentetur interim
 quisquis non est lapsus. Commoveatur quisquis est ab homine, hu-
 maniter natus humanus. Sed tu Ecclesie Parens! O tu mi beata,
 mi Sancta anima, DOCTOR SVENONI, in lucem prodii-
 sti parvulus; cecidisti magnus & excellens. Succrevisti, O Pater,
 pauper admodum; Nos reliquisti dives. Adolevisti ac laboravisti
 diu, O noster! O noster! si liceret te sic affari, Episcopo; una autem
 à nobis horâ es ablatus. Ah! nos miseros! ah! nos vita brevissima
 homines! Quia longâ aetate crescunt arbores; uno autem fortune
 ictu radicibus exstirpantur. Sed vixisti interim Deo nostro gloria
 certissima, vixisti Regi ab officio gratissimo, Ecclesia vixisti
 eucissimo patrocinio, Palladio huic maximo encomio, patrio
 nec minus tuo solo, nominis immortalitati. Verum denatus,
 omnium corda scindis, omnes nos graviter dolere facis, prater
 te ipsum; quippe qui aeternum letaris. Quid multis? Terrenis his
 relictis, consistis nunc in collegio sanctorum, ante Thronum Dei factus
 Trinitatis discipulus, qui citharam illam pulsas incorruptibilem,
 citharam pulsas semper ad nutum Divinitatis consonam, citharam,
 dico, gratiâ plenam. Illi igitur nunc Deo nostro, qui te nobis tam-
 diu largitus est, sacrum jam ipsi & reditum depositum, Vale! Vale,
 inquam, Divi Lutheri in vita, in morte & post eam conjunctissime
 Comes! Vale collega Angelici chori! Vale tu Cæli præ multis cor-
 ruscans corona! & adhuc repeto meum Vale! Vale proinde tu Papæ
 in vivis flagellum, & post mortem tuam, mors ipsa certissima Papæ!
 Nos interim, O mutud afflicti, epitaphia erigamus mæsta, memori-
 am Beata memoria SVENONII, omni tempore memorem, omni aetate
 recentem velimus, nec unquam oblivioni tradamus. Quia, O fratres
 querelaram, quidquid in hoc Heroë admirati sumus, quidquid morta-
 libus in imitationem ille reliquit, manet & erit mansurum in æ-
 ternitate temporum, in fama rerum, mori planè nescia. Nam vixit,
 & est etiamnum. Plenè obiit orbis Arctici ENVALDUS; sed ne uti-
 quam morietur unquam. Terram Cælum diceres Sole, in Lunam conver-
 so; Noster tamen Præceptor, terris ereptus, in Cælum transit; sed
 vivus à vivis nunquã aberit hominum laudibus. Hinc animum pauli-
 sper laxemus, de spiritu spiritum ducturi, O cives. De cetero Valetè,
 & rem ubique felicem, semper ubiq; gerite!

HAQVINUS A. Wising. Reg. Alum.

Episcopus S. B. Doctor ENEVALDUS
SVENONIUS,

Anagr.

En; pius Paulus, docens, suo sub DEo Trino, excluso C.



N, pius est Paulus paulina docens ENEVALDUS,
Doctrinae divae Doctor, nullique secundus
Estque procul nobis, praesul SVENONIUS, Ecce
Nuncque Deoq; suo trino sub quo fuit olim
Hicce melos cantans aeternum quippe beatur,
Probi omnes, cum moerore,
Pii simul cum dolore,
Oves omnes cum angore,
Ominantur malum fore;

Nunc ob decessum praesidis.

Summe Pastor animarum
Protector Ecclesiarum
Curam gere nunc illarum
Curae horum commissarum.

In stadio nunc certantium.

Christe Deus, Deus vere,
Relictarum miserere,
Has defende, has tuere,
Et in caelis fac videre

Te in terra viventium!

CAROLUS HODOR.
Reg. Stipend.

Quis



Vis dabit in lacrymas fontem mihi? quis satis altos

Intendet gemitus? prodeat unde dolor?

In lacrymas, inquam, largo mihi flumine fontem,

Quis dabit? Unde feret tristia verba dolor?

Eheu! Nam *Lumen* mors abstulit invida terris,

SVENONIUM *Nostrum* fata inimica necant.

Hinc omnes mœsto suspiria pectore ducunt

Abodici, mœstos deproperantque sonos.

Tu *Smolanda* cohors pullis quoque vestibus adsis,

Tristiaque alternâ pectora tunde manu!

Hic mecum tristi excessum perpendite vultu

Praesulis hujus, atrox quem tulit una dies!

Ille fuit *Lumen Patriæ*, quoque *Episcopus*; ille

Doctor SVENONIUS mystica sacra docens.

Doctrina vera *Custos* rigidusque *sacelles*,

Ipse salutiferum dogma professus erat.

Sancta illi curæ sancti doctrina *Lutheri*;

Calvini horrebat, *Pontificis*que *Luem*.

Arguit *Hæreticos* de *Christi* vana loquentes

Religione; sacro victor in ense fuit

Thejologum *Doctor*, *solida pietatis Amator*,

Stella gregis Christi, *gloria magna soli*.

Heu! quoties ejus megalandrica facta revolvo,

Ac lepidas voces, ingenuamque fidem.

In Lacrymas toties gemitusque resolvor acerbos,

Qui mentem torquent sollicitantque meam!

Nunc quamvis tellus fessos subduxerit artus,

Attamen illius fama decusque manent.

Victuris vivunt ejus *Scripta inlyca chartis*,

Ille etenim semper posteris in ore ferent.

Magne Vale *Doctor*! vivent monumenta per ævum,

Virtute ingenii nata, renata tui.

Posthac præteriens cippum hunc, dic *Candide Lector*:


En! hic SVENONII molliter ossa cubant.

Ipse Vale cœli novus incolæ, tutus ab hoste,

Incolæ cœlestis nunc ENEVALDE Vale!

MAGNUS RRM

Reg. Beneficiarius.

 *V*ibus Excellens aliquod Eruditionis depositum contredidit fa-
vor ac benignitas Caeli, his non sufficit illud obseratum qua-
si fideli custodia reservare; Sed erumpat oportet, & de Thes-
sauro isto participant alii. Sic verè proderit non uni aut al-
teri, sed plurimis, non presentì solum sed futuro seculo, sic vivunt
etiam mortales post mortem in posterorum animis. Habet eruditio hoc
commune cum superis, ut premium quod elargitur, non intra exigui
temporis terminos ponat, sed in honorifica posterorum memoria nomi-
nis immortalitatem conciliat Eruditis; & natura ut ne non rarò nimis
parca sit in ampliandis vite terminis, illorum maxime qui pra aliis
magis magisque publico invigilant bono, non tamen potuit eisdem glo-
ria, quos vita ponere fines; hac adhuc superstes, injuriam temporum
eludit, immortalitatem sapit. Non audeamus illam dicere vitam per-
petuam, cui indies aliquid decedit, & quae ne usuram crastina lucis si-
bi polliceri audeat, illam autem jure potiori, quae indies accrescit, annis
non consumitur, homines sera posteritati intuentes sistit. Sed video fu-
nus efferri, defunctum lugeri, sepulcrum aperiri, hic subsistendum pau-
lisper: Cujus exequijs hoc die justa persolvunt? Responsum fero: A-
cademiae ad auram Professoris dum viveret primarii, Ecclesiarum, quae Christo
Aboa colliguntur, pastoris, Londinensis Episcopi jure meritoque confirmati,
ENEVALDI SVENONII Q. G. A. S. S. theol. Doctoris longè ante
fata Celeberrimi. Tristitia ipsa tristius responsum. Non miror luctum,
gemitum, fletum, idem ipse fuit cui excellens Eruditionis depositum con-
creditum erat, fidem circa tam nobilis Thesauri dispensationem adhibi-
tam, restatam fecit non uni seculo testimoniumque reportavit omnium, apud
quos nomen aliquod ac decus Eruditionis est, in cujus laudes justas
debitasque prolixioribus irem, svadentibus id, tam summa Eruditionis glo-
ria, quam ingentium meritorum cumulo; Sed cum hoc sit vel omnino
supra, vel si levissime tangatur, notissima esset oratio, surgeretque
major prolixitas, quam ut hisce possit includi. Juvabit sic hac pronun-
ciasse: Lugemus hodie illum, qui salutem publicam sua saluti, antepo-
suit quam longissime, qui agitavit profutura non paucis, qui questus est se
miserè perdidisse illam horam, quam non impanderat honori publico,
quid mirum? Si omnes lugent, squalent dolent, luctusque esset non u-
nius diei, si omnes adq; senserint vulneris gravitatem nostra patria insitit,
obitu tanti viri, labantis seculi, sperati praesidii. Absit, absit ut cum ci-
neribus memoriam terra unà mandemus, dignissimus hic noster B. E-
piscopus immortalitati qui consecretur, vivet, vivet in ore & fama omnium,
grataque memoria & laudum debita celebratione oblivioni non tradendus,

SVENO M. ARELIUS.



Ixit olim Moses, datus à Deo populo Israëlitico
Custos factusque gregis Dux & antesignanus.
Huic certe intimè adeo favebat Numen illud
Divinum, & illi præsertim, sibi quadraginta dies
in colloquium assumpto, tradere voluit duas Legis moralis
tabulas, quas nos decalogum nominamus. Magnum pro-
fecto Dei erga hominem beneficium! Magna de po-
pulo dei cura! Sed vixit & tandem mortuus fuit, & popu-
lus iste, tanto Dei viro orbatus, justis ac accerbis lacrymis,
mortem ejus totos triginta dies deflevit, in agro Moabita-
rum. Inconstans adeo fortuna est, & sine pedibus. Pari pror-
sus ratione nobiscum jam actum est, O! mortales. Scilicet
affuit & nobis maxime probus quidam Moses in nostro, no-
stro eheu! ad cujus cineres jam procumbimus lacrymis pla-
nè fessi, Reverendissimo Domino Episcopo, S. S. Theol. Do-
ctore undiquaque celeberrimo, beatæ memoriæ, ENEVAL-
DO SVENONIO. Verè dolet mihi Cor, stillant oculi, tre-
mulâ factâ manu meâ. Profecto languescunt simul animi
& corporis vires, quotiescunque recordeor jam amissæ in hoc
Episcopo bonitatis, quotiescunque ingemiscens mecum re-
puto Pastoris communis Ecclesiæ jam Viduæ, patroni jam lite-
ris ad Episcopatum vocati, & mei Eheu! nunc defuncti pa-
tris ac Præceptoris, divam omnimode eruditionem, por-
tentosum, quod suspicor, obitum, tum erga omnes & præ-
primis literarum egenos satellites, patrium ejus animum.
O Dolor! O infelicitas! Itane vos inter Parcæ conclusum
est, nobis antea miseris, esse adhuc tristiores? Itane vobis
arridet ploratus lugentium, ut eum loco tibicinum læti ac sal-
tantes, Vobis in spectaculum afferatis? Breviter; nam mens
præ dolore obstupescit. Recirabat Moses populo sibi datas

tabulas : At quot quæso & quanta divinæ sapientiæ My-
stéria? quot arcanorum trinitatis decreta? quot demum or-
thodoxæ religionis arces, turrets & muros (nam ad ejus ope-
ra provoco) nobis à Deo instructus hic noster erexit? & vel in
mortis agone constitutus, tanquam Deo ac patriæ non dum
fatis fecisset, in ipso, inquam, sepulchri margine consistens,
fabricavit nobis contra hostes nostros (Hæreticos puta) scuta,
& dedit tala? quo moriens cum Epaminonda triumpharet
hic noster, noster, dico, quem non sine gemitu, non sine la-
crymis nominare possum Magnæ ruentis Babylonis

Magnus & Gravissimus Auctor, ENE-
VALDUS SVENONIUS.

Restat nunc di-
xisse de ejus elaboratissimo *Gymnasio capiendæ rationis humanæ*,
describere ejus *Synopsin*. Et adde insuper *Artificium ejus Delilæ*,
refer *Theologia Synopsin* compendiosissimã, ad *Dei Apologeticum*,
Lytrodoxiã inquire *Jesu, & veri verã indolem percipere presbyteri*.
tanta profectò habebis vastissimæ ejus Doctrinæ documenta,
tãta pondera & sigilla; quanta nulla capit rationis imbecillitas:
Nam hoc Domũ veri Dei fuit, quod servo suo concredidit fidei,
in suæ Ecclesiæ defensionẽ. Sed elabitur tempus. Elatum funus
videmus. Adeoque ut lugebant Israëlitæ, quod dictum, mor-
tem Mosis, & quidem merito. Sic lugeamus & nos, O mor-
tales, de tanto, de tanto; sed deficit mihi vox, & cadunt lacry-
mæ. Mœror noster magnus est, quis modum ejus capiet.

Mesto animo apposuit

JONAS P. SWANBERG.

Wex, Smol.

ANI-

ANIMUS
GEMEBUNDUS.

Tam tristis casus, luctus tanta magnitudo & mors atrox

Animum planè meum dejecit, & sic concussit,
ut necessum habeam de hoc conqueri, lacrymari;

Quia quod Theologum maximè egregium,

Doctorem celeberrimum & suspiciendum,

è medio immanium laborum cursu,

Extulimus ac humavimus.

O insperatus Dolor!

O gelida sævaq; mors;

VAH!

Eruditione inclytus,

Meritis illustris ac celebris,

Admirabilis juventutis Præceptor,

Patronus magnus & omnis sapientiæ Oceanus,

Ex exanthlatis laboribus non sine lacrymis & singultu,

ad æternitatis solium, ut novum sydus, inter sanctissimos radiat.

Te Fidelis Doctor, tota Svecia, immo Scania & Finlandia plorat,

Ecclesiæ & præsertim hæc Musarum sedes ad auram moeret,

super tantum judicium, super tam inexhaustam memoriam,

tam pium pectus, tantâ scientiâ rerû prægnans caput.

Notû est omnibus temporibus ingenia nasci,

qui animos artibus liberalibus dant;

sed qualia? tantum ut dixi,

non semper talia,

O igitur rerum Casus!

O seculi nostri Clades,

O fata maximè caduca,

O tæpùs mortis morte indignius,

O Dies ipsa die infelicior,

O Hora Horâ multo fugacior.

O nos! o nos! in illa mutabiles!

Proindè

Tu sancta anima atq; beatissima,

Tu Scripturæ Sacræ subtilissime interpres,

nosster omnium inter plures optime & excellens Præceptor,

Vir de Republicâ literariâ & Ecclesiâ Dei longè meritisime,

Jam in tranquillo naviga, in foro poli vige, & in conspectu Dei obambula.

JOHANNIS HORNÆI. Reg. Alum.



Inter ceteras, quas caeca seculi fert mortalitas infirmitates, minimam
vix meretur sedem, sera nimis ac praeposteram boni aestimatio, quod
scilicet tum demum sua intelligat bona, cum quae in potestate
habuit, amisit. Ec quanta quaeso felicitatis pars est, patria
dulcissima, bonis pariter ac eruditis gaudere viis furientium
ἐτεροδοξῶν technis malevolorum ac puram religionem corrumpere tentan-
tium strophis intrepide sese opponere sustentibus. Ec quanta quaeso,
felicitas Ecclesiae, fidelem & undiquaque *γνησίως* Lutheranum habere pa-
storem? Ec quanta quaeso, felicitas Academiae Musarumque satellitibus,
doctum fidelem ac optima cupientem habere ducem, praecceptorem, Pa-
tronum? Ec quanta quaeso felicitas parentes victum & amicum praeccepta
vitae & morum instillantes in vivis habere? Ec quanta denique felicitas cum
tenui conflictante fortunâ. Promotores sibi videre propensos. Ad te re-
deo Patria dilecta, Quot eruditos, quot cordatos viros, brevi amisisti tem-
pore? quot bone Deus extincta verae religionis lumina, sulcra? Hæc D. vine
vindictæ *τυμνίαν*, hi venturarum iustæ iræ divinæ prodromi, nive hæc
liquefcente ingens insequetur lutum, dixit sapiens quidem senex, id est,
canitie & pietate venerandis viris demortuis, quid nisi calamitas insequetur
tristisque omnium rerum videbitur facies. Proinde ô Patria, si defuncto
Cæs. Romano, sol per annum integrum nigrorem visus sit induisse, pri-
stinumque deposuisse splendorem, quid nisi idem tibi videatur cui tot
atri exoriuntur dies, funeribusque immergunt, tot viros gloriâ & famâ
condecoratissimos religionis Antistites. Quorum non minimum si terras
has respicias Abodicas gemibunda invenies. Etenim ante bimestre vel
quod exeurrit spatium, terrestres has umbras reliquit, ac ad calica migra-
vit tempe vir de Ecclesia & re literaria optime meritis Reverendissimus
ENEVALDUS SVENONIUS S. Sita Theologiae Doctor, Aboënsium &
Numisensis Ecclesiarum Pastor, in Academia Professor, & nunc ritè de-
signatus Episcopus Londenensis famigratissimus. Hunc jam ô Patria amis-
isti. Quid nisi luceas & cum lamentis tua intelligas bona. Tu vero Dica-
cesis Londenensis inclyta, cui Deus & Rex noster clementissimus tam eru-
ditum, tam pium praeficere voluit praesulem, quid nisi dolendi justam ha-
bens causam, quæ virum, sine furo dico, amisisti talem, qualem quam-
vis diogenicam accendas Lucernam, vix reperies. Hunc virum sacrum
suum Vatem omnes in terra hæc Arctoa non sine causa deplorant, plan-
gunt universa Ecclesiarum membra, ejulatu personat Templum heic Ca-
thedrale, in quo per tot annorum decursus, ex pulpito sacro tot monita,
tot divina pronuntiavit, oracula. Sic tua merito sentis bona. Adite me
nunc

JOHANNES HORNÆUS

nunc converto Aboënsis Academia, vos testor, qui vel antea ex hæc Musarum palæstra prodistis viri, vel etiamnum sub Musarum vexillis militatis commilites, quis vestrum tam fidelem præceptorem, tam benignum Patronum lachrymis non prosequatur. Non diu est, quod cecini *Letetur Finnica tellus, & Academica pubes*, cum scilicet ante biennium munus Rectoratus quarta vice *beatorum hunc nostrum* capessere lætus adspexi, dum in templo Cathedrali orationem habuit de argumento, *Quod Papa Romanus sit Antichristus*, quod ultra 30 probaverat argumentis. Ast nunc heu dolor, pullam induas totusq; lachrymis squaleas, eum gaudium hoc ferme fuerit tibi momentaneum. Quam gravi vulnere afflicta sit tota ejus familia verbis nec possum exprimere, nec volo. ne eadem memorando vulnus idem, hoc ævo insanabile refricem. Decidit ac defluxit capite corona, ruptum conjugii vinculum, liberos deseruit parens optimus, spes post Deum unica, tutissima. Quis afflictum horum non deplorabit statum, quos procul dubio scio aliquot vitæ suæ vellent ademptos dies si huic tam bono patri adderentur. Ac demum inter hos qui lachrymis certant haud infimus sum ego, in quem *Beatus Hieronimus* tot beneficiorum contulit Myriadas, tot jucundis salubribus præceptis ditavit, quot recensendis nec papyrus nec tempus sufficeret. O duras mortis leges, quæ hunc nobis diutius reservare dedignatae sunt, pennam currentem lacrumæ intercipiunt, stupesco & quasi cælo tacta manus torpescit. Inviderunt nobis tantum fata virum, unde nobis ademptum cœlo collocarunt, at ipsi hoc non invidemus gaudium, sed voto & adplausu tantum dei nunc ipsi præstitum favorem gratissimo decantamus elogio. Vale nunc Reverendissime Pater & vive *ἰσχυριστος* in æternitates perpetuas! Vale Præceptor fidelissime nunc discipulus Christi in cœlicolorum Academia! Vale Pastor vigilantissime, & qui animam tuam redemit, pastorem, facie ad faciem contuere! Vale Patrone beneficentissime, cui munera nunc retribuuntur æterna, accipe nunc pro labore requiem, pro fidelitate in officiis, æternam mercedem, pro siti & fame, daptes æternas, pro ægritudine nunquam desituram salutem. Si possem optare plura prolixo adfectu, corde devoto, mente ardenti voverem, sed cum plura consequutus sis, quam mente, quam cogitatione complecti queam heic subsisto, & ut consortio Tuo, Mæneas Amplissime, transactis his dignus fiam, Deum rogo supplex & cernuus.

Sic animo magis quam verbis patria, Ecclesia, Academia, familia & suum restatur dolorem.

PETRUS LINSTORPHIUS.

Reg. Alumnus.

Quaquam luctuosissimum hunc & inopinatum obitum Reverendissimi atq; Amplissimi Domini Doctoris & Episcopi, Dn. ENNEVALDI SVENONII; mea rudis & ad huc vilior Minerva, inter tot strepitus, imo inter tot planctus, totq; commiserantium amicorum & Sociorum dolores, non satis digne deslere potest: tamen spero me, non quod debeo, sed rem piam & Christiano dignam facturum, dum mihi in memoriam revoco B:ta Meria SVENONII incomparabilem doctrinam, summam eruditionem, piam vitam & inculpatam in omni vite sua genere curam. O Interim fata adversa! O noxia tempora! Quid namq; mali fera illa mors nobis intulit, attendite! Abest nunc vir doctrina & eruditione maximè conspicuus, qui tot terrarum regiones visitavit, qui tot mala atq; res angustas tulit. Ego certè diem tam funestum & lacrymis dignum, tam brevi futurum nunquam existimavi. Sed cum fata sic ordinarent, te equidem dicam felicem, qui tam religiosè, tam integrè, tam prudenter, tamq; piè, semper ad hunc extremum usq; vite tue diem, inter perpetuas ferè molestias, inter hoc tempore obvias turmas iniquitatum felicissimè vixisti: Sed nos calamitosos & juxta miseros; Quippe quos deseruisti. Quo circa lugemus nunc quidem nos: Tua verò derelicta ac Nobilissima vidua, se ad huc gravius & acerbius, ob infectum vulnus habet. Verè profectò spondeo, si posset, vitam tuam lubens redimeret. Aut quid mutui vestri amoris pignoribus, magis lethale supervenire diceres, quam quod ipsis adest, jam ea aetate, quâ quadam eorū suum agnoscere non possunt mœrorè, sed magna ex parte magis infirma sunt, quam ut valeant ad resistendum dolori huic prevalenti. Nunc quid Academia nostra faciem referam tristiore? aut describam Dioceseos Lundinensis lugubrem ac torvum aspectum? credo sufficiat Reverendissime Dn. Episcopo, tibi impensè gratulari tuum felicissimum statum & nostros nos modeste moderari fletus, detergere inanes lacrymas, & memoriam tui cum reverentia aeternam retinere, in animo verè memori. Vale!

Mœstus parentare voluit.
PETRUS J. HAGARMAN.
Wex. Smol.



Armina læta mihi pridem hinc ENEVALDE canebas,

Sacri exercitij Præses & auctor agens.

Læta tibi volui Venerando pangere verba;

At nunc luctifonis carmina dico modis.

Qualia præ nimio concinnem carmina luctu,

Nescio, tantus adest luctus at hæcce noto:

Egregiè semper cum dogma SVENONUS hocce

Tradidit, ipse docet, quâ decet arte mori;

Demonstrans duplicem mortem, medicamina mortis

Fortia suppeditans, & sacra scuta gerens,

Mors crudelis, ait, nil me, quanquam horrida, terret;

Nil duras galeas, nil tuâ scuta moror.

Experièrè modo, hic, quantum præstare valebas,

Quod docuisti alios, num facere ipse queas.

Ast mors atra tamen componit spicula in arcum,

Cumque dolore gravi tollit ubique homines.

Siccine temporibus miscentur tristia lætis,

Et fortis varias cernimus esse vices!

Fundite Lundenses lugubria carmina Musæ,

Sumite funestæ tristia plectra lyræ!

Hoc moriente cadit prænobilis arbor in horto,

De quâ jam patriæ spes fuit ampla suæ.

Fundite Smolandæ lugubria carmina Musæ,

In lacrymas abeat, quod fuit ante melos!

Desinat at luctus, nec non lacrymatio ocellis,

Desinat! hæc Dominus fecit abunde bonus.

Vivit ad huc virtute suis, & vivit in ævum;

Vivens, non moriens hic & ubique manet.

Vivit ubique, inquam, famâ super æthera notus;

Nobilis ille solo, nobilis ille polo:

Salve igitur salve! æterni novus incola cœli!

Salve! te excepit gloria summa Dei.

Ultimi honoris Ergo debitâq; condolentiâ gemebun-
dus scripsit S:æ Reg. Maj. Alumnus

JOHANNES BODELIUS. Smol.



Uncta suos repetunt ortus, matremq; requirunt;
Et, qua cuncta dedit, cuncta vorabit humus.
En! quot in hoc mundo mala fata subire tenentur;
Irrevocanda manent numinis acta sacri.

Quippe semel dixit: si pecces, tum morieris;
Heic quis se excipiet? Quis lue purus erit?
Expertus Mortis diram est vim non ita pridem,
DOCTOR SVENONIUS jam Venerandus olor.
Vita felici fruitur, certamine Victor
Coelis suscepto sancta corona data est;
Quamque pij quarunt, Et nos, dum vivimus, omnes:
His quoniam mortem vincere nemo potest.

Ast merito incuso ipse viro tam tristia fata:
Cognatum amisi, quique patronus erat.
Vixit dum vixit, Vir Laudibus undique dignus,
Denique Scanensis Praesul honorificus.
Vera quod fuerit, defensor religionis,
Scripta docent ejus multa relicta manu.
Oquam maesta dies, tantum qua sustulit orbi!
O nimis atrox mors omnia falce metis!
Quid dolor & luctus? quid meror proficit ultra?
In caelos abiit, gaudia magna capit.
Desinat hic luctus! nunc vos compello relictos:
Conjugis & mortem fata piique patris
Aegre fertis adhuc, jam terque quaterque beati!
Det tandem nobis gaudia tanta Deus!

Epitaphium cum Eteosticho.

Includor tumulo hocce, meis jam sensibus orbus;
Exultat caelo Spiritus aetherio.
VIVITE IAM CHARI & FASTI SANIQVE VALETE!
SIT spes Vestra potens ora beata Dei.

Reverendissimo Episcopo, ut cognato desidera-
tissimo, ita promotori quondam optimo,
maesto animo ultima solvit justa

SVENO O. ROOSBERG Vex. Smol.